



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. F. Felicis Potestatis Panormitani Ordinis Minorum S.  
Francisci de Observantia ... Examen Ecclesiasticum**

**Potesta, Felice**

**Coloniæ, 1712**

Ad Lectorem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40060**

## AD LECTOREM.



Ngemisce pie Lector; non enim siccis oculis, hujus voluminis paginas, in quibus ejus Auctoris memoria tibi obvia occurret, transilire valebis; lacrymare quam in tanti viri funere passa est Felix Civitas infelicitatem, ac Trinacria tota jacturam. Felix nomine, Felix moribus, Felix ingenio in aliorum utilitatem semper scribendo Feliciter laboravit; nec unquam labori defuit animus, sed defuit anima, laborum præmium in cælis (ut piè creditur) acceptura. Quamquam enim Examini Ecclesiastico jampridem in lucem edito diutius elaborasset, eum tamen, adhuc in dies, ille, qui nullum diem sine linea prætermisit; alia, quæ ibi non tetigerat, multa perlegeret, multaque ipsi, successu interjecti temporis, quæ resolutione indigebant, ad aures pervenissent; ne quid amplissimo operis titulo intus deesset, quod dubiam mentem in resolvendo possibiles casus relinqueret posset; de explenda omni tua pia curiositate sollicitus, eidem amplificando studiosius insudavit; & veluti apis ingeniosa, ex omnibus floribus, quos, nedum in Moralium, verum & Canonistarum (spatiosissimis campis, reperire potuit; ut pro viribus, brevitati simul, ac utilitati studiosorum consuleret; succum colligit, favumque uberiorem emisit. Hinc idem Examen, jam in duo parva volumina partitum, in unum, sed novis casibus, aliisque diversis materiis maximè adauctum, nec non sacris Canonibus, principisque Theologicis pinguis refertum tandem redigit, quo modo nunc tibi denuo prodit in lucem. Optus; si ea omnia, de quibus in ipso agitur, aspicias, breve est, sed minimè abbreviatum; imò copiosius, quæ in multiplicatis, magnisque tum veterum, tum recentiorum voluminibus conscribuntur, omnia continens; in ipso enim omnes penè excogitabiles casus practicos morales ad quameumque materiam spectantes, nec nimis arctando, nec nimis relaxando, fideliter ac solidè resolutos invenies; nam haud novitatis, vel veritatis amator, sed veritatis paleas excussit, frumentum purum elegit. Igitur gratanter accipe, quod anhelanti animo cupiebas; nec dubites ob funeris eventum totum esse Auctoris, quidquid in opere reperitur; hujus enim operis complementum fuit suæ consummationis initium, & cum finem huic examini fecisset, laudemque Deo scripsisset; postridie in febrem incidens, ad alterius sæculi Examen se disposuit, ad quod vocabat Divina Majestas. Hinc securiter opus tene, ipsi sedulo incumbere, attenteque perlege, & proculdubio universam moralem scientiam possidebis. Vale.

INDEX